


Leges In Communi Academiae Gryphiswaldensis Mensa Servandae

[Greifswald]: Struckius, 1746

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818449411>

Druck Freier  Zugang





C
10881-8

Hc 1088.^{1-8.}

12 1 179 11

24 15.

LEGES
IN
COMMUNI
ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS
MENSA
SERVANDÆ

TYPIS HIERON. JOH. STRUCKII
MDCCXLVI.

H
Hc-1088¹⁻⁸

LEGES

IN

COMMUNI

ACADEMIE GRYPHISWALDENSIS

MENSA

SERVANDA

STYLI HERON JOH. STRUCKII

MDCCCLV



I.
Qui mensæ communis particeps esse cupit,
jussu Magnifici Dn. Rectoris, Dn. Pro-
fessorem, Convictorii specialem Inspectorem,
adito, periculum studiorum suorum apud ipsum
facito atque testimonium ea de re ad Magnifi-
cum Dominum Rectorem referto.

II.
Ad mensam recipiendus Magnifico Dn. Re-
ctori duo florenos solvito. Et antequam acce-
dat, ap. Inspectorem nomen profitetor.

III.
Oeconomo florenum numerato eidemque
orbem unum stanneum & sex ligneos dato.

IV.
Post accessum Prætori & Convictoribus qua-
tuor solidos Lubecenses solvito.

V.
Statutis in convictorio affixis, aut posthac
affigendis, obtemperato.

VI.
Singulis mensibus, pro cibo & potu, œconomo
prænumerato, sub pœna remotionis.

VII.
Meridiatum venito hora XII; Cœnæ vero
hora VI. interesto. Qui post quadrantem horæ
venit, nihil accipiet, nisi lubente œconomo.

VIII.

VIII.

Hebdomadis singulis dimidiatum solidum
Lubec. in communem usum conferto.

IX.

Preces ante & post cibum, sub multa solidi
Lubec. nemo intermittito.

X.

Cibos, panem, salem potumque recte usur-
pato & nil horum perduto, nec quicquam eorum
contemptim habeto donorum Dei, sub pena
solidi Lubecensis.

XI.

Si quid desiderandum videtur in apparatu
epulari, nihil suo ausu, vel impetu, molitor, sed
causam ad Convictorii Inspectorem deferto.

XII.

Mensam, mappam, patinas, orbes, cantharos,
candelabra &c. cultro ne scindito aut depravato:
qui fecerit, tres solidos Lubec. solvito & dam-
num illatum compensato.

XIII.

Fornaci & fenestris aliisque utensilibus damna
ne inferto, sub pena arbitraria.

XIV.

Tecto capite mensæ ne affideto, sub multa
duorum solidorum.

XV.

Hospitem qui adduxerit, œonomo id indi-
cato, & pro eo, quinque solidos Lubecenses
statim numerato.

XVI.

Ultra mensem ne emaneto, nisi diutius ema-
nendi a Magnif. Dn. Rectore & Inspectore facul-
tatem

tatem impetraverit: & pro relicto loco, singulis hebdomadis, per omne absentiae tempus, tres solidos œonomo contribuito.

XVII.

In cibis diribendis atque capiendis decorum servato: æquam & justam portionem sibi sumito. Secus qui fecerit, solidum unum exsolvito. Vicinus quoque cum vicino, sub multa solidi dimidiati, manum in patinam ne immittito.

XVIII.

Senior & post illum Prætor in cibo capiundo primi sunt, qui tamen de singulis ferculis hospiti primam particulam apponito. Eos anteyerrens multam solidi unius solvito.

XIX.

Mensæ modeste assideto & ab omni strepitu, clamore, garritu, risuque immodico & quavis alia tumultuatione, penitus abstineto, sub mensæ communis privatione.

XX.

Voces piis & honestis auribus indignas, qui protulerit, aut discordiarum auctor extiterit, tres solidos persolvito. Si vero delictum aliquod enorme inciderit, Senior rem adInspectorem mensæ communis, aut ipsum Magnificum Dn. Rectorem, deserto.

XXI.

Nemo Convictorum ea, quæ fiunt, aut dicuntur in mensa, (nisi quid forte inciderit, quod scire Magistratum interfit) temere propalato; Sin contra deliquerit, solidos tres numerato.

XXII.

XXII. Peractis post prandium ac Cœnam precibus, Sacra Biblia, ut tetigerit ordo, aut ipse, ea qua fas est reverentia ac animi devotione prælegito, aut prælegendem alium auscultato. Si quocun- que modo contra fecerit, duobus solidis Lubecensibus luito.

XXIII.

Oeconomo ejusque ministris cibum appa- rantibus, importune urgendo atque vexando, molestiam ne exhibeto, sub gravissima animad- versione.

XXIV.

Oeconomi uxori singulis annis, Kalendis Ja- nuar. tres, & in festo S. Jacobi octo solidos, ho- norarii loco, persolvito.

XXV.

Prætoris onus quilibet ordine subito aut tres solidos commensalibus persolvito.

XXVI.

Prætor absens, si nullum e commensalibus substituerit, tres solidos pendito: ferius adveni- ens fercula neglecta singula uno solido redimito.

XXVII.

Senioris officium ad omnes dirigitur, cui recta monenti, si quis adversabitur, prima vice, duo- rum solidorum Lubecens. mulctam solvito: qui denno reluctatur, gravius plectetur.

XXVIII.

Prætor officium suum diligenter obito, debi- taque & mulctas statò die veneris exigito, aut mul-

multam, quam non exegerit, ipse perfolvito.
Quod si vero debitor eo die solutionem prestare
nolit, nec justam excusationem habuerit, ab eo
duorum solidorum multam exigit.

XXIX.

Idem Prætor die saturni, ante meridiem, ratio-
nem acceptorum & expensorum prætori se-
quenti reddito, nec rem diutius sub multa trium
solidorum differto.

XXX.

Transacto prandio & cœna in Convictorio,
sive colloquendi, sive perpotandi causa, rema-
nens tres solidos solvito.

XXXI.

Si leges commensalium sub prætura alicujus
infigliter maculatæ fuerint, multam is trium
solidorum exfolvito: Si prorsus amissæ, novas
comparato &, ad vitandam in posterum hujus-
modi negligentiam, pœnam floreni luito.

XXXII.

Si majorem multam irrogaverint Convicto-
res, quam quæ his Legibus statuta est, ad singula
delicta &, eo nomine, querelæ adInspectorem
vel Magnificum Dn. Rectorem delata fuerit, ejus
pecuniæ duplum Prætor, singuli commensales
dimidium Senatui Academico perfolvunt.

XXXIII.

Pecuniæ pro introitu a novitiis datæ, & ex
multis collectæ, singulis mensuris, Prætores,
apud Inspectorem, rationem reddunt, qui ne-
cessariis usibus asservabit & petentibus stipem
ex ea erogabit. Quod ejus residuum est, Biblio-
thecæ Academicæ destinatum esto.

XXXIV.

XXXIV.

Pariter Prætores a singulis Commensalibus duos solidos Lubec. colligant, quovis menstruo dandos, eosdemque cum pecuniis in §. præced. memoratis, Dn. Inspectori exsolvunto.

XXXV.


Ut innotescat Senatui Academico, dignis ne an indignis mensæ communis beneficium conferatur, singulis semestribus convictores omnes collegia, quibus interfunt, pariter ac hospitia, quibus utuntur, apud Inspectorem profitentor.

XXXVI.

Qui per annum tempus Academiæ, in Convictorio publico, alumnus fuit, publice disputando progressuum in studiis suorum specimen edito, sub pœna beneficii amittendi.

XXXVII.

Diem si quis convictorum obierit, univèrssi & singuli comitantor: qui id facere neglexerit, citra justam causam, octo solidorum mulctam sufferto.



Verfertigt
von
L. A. CARRE
Rostock
Breite Nr. 25.

